

1439 partium factus. Quod ubi ille exploratum habuit, ali-
 quandiu anceps stetit, incertus quo primum se verteret:
 videbat id Philippi consilio factum, ut suum in Galliam
 transitum per novum hostem retardaret. Sed ut præsentem
 erat consilio, nihil ad institutam expeditionem æque atti-
 nere ratus, quam (ubi armis ad Venetos veniendum
 erat) si Ravennam & Forum Popilii hostibus ademisset,
 quibus receptis, compendiosissimum sibi iter in Galliam
 aperiretur, Popilinenfes adortus, postridie quam eo castra
 admoverat, ad deditorem compulit. Inde dum forte Ra-
 vennam duceret, ecce trepidissimis affertur nunciis, ho-
 stes, Athesi superato, quicquid citra ultraque flumen Vene-
 ti tenuissent, præter Veronam & Vincentiam, propemo-
 dum occupasse: Veronenses ad id arcta præmi obsidione:
 Paduæ & Vincentiæ, ejectis præfidiis, tumultuatim: peri-
 culum esse nisi properet ire, ne omnia in hostium pote-
 statem subito concederent. Sed quod ad duarum urbium
 tumultum attinet, id militum culpa accidisse ajunt, qui
 nimia licentia peccantes, furta passim & rapinas in mise-
 ros cives non aliter quam in hostes bello captos edere au-
 derent. Patavini injuria adacti, quum ad arma concurris-
 sent, mox Prætoris interventu impetum tenuere. Vincen-
 tini & ipsi simili causa consternati, ejecto præsidio, suam
 in Venetos fidem prædicantes, haud sibi externis armis
 opus esse dicere, satis superque constantiam suam Patri-
 bus notam esse: his munimentis urbem ipsam adversus
 omnes hostium impetus tutiorem, quam ullo mercenario
 præsidio futuram. Laudati sunt vehementer Vincentini a
 Mellita, qui sub primum affuit tumultum, hortatique
 ut in antiquo studio & fide permanerent: permissum est,
 ut suis viribus, quemadmodum postularent, urbem tueren-
 tur. Hujusmodi nuncii omnino auditu, quam re atrocio-
 res, effecerunt ut, mutato consilio, continuo Sforzia,
 flexo a Ravenna cursu, ad Roncanum pontem citato ag-
 mine duxerit. Inde Guidone & Francisco Picinini filio
 intra Forilivii mœnia cum numero equitatu compulsis,
 quinto post die quam eo venerat, inde digressus, sextis ca-
 stris